



13

P. S. eq.
Pri. 26. num. 18.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

ALIENATIONE

ET

OMISSIONE
MINORUM VALIDA

ATQUE INVALIDA,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, RELIQ.
INDULTU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
JURIDICÆ,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA OBTINENDI,

MAGNIFICI ET EXCELLENTISSIMI

SENATUS ACADEMICI

EXAMINI PUBLICO,

AD DIEM XXIV. FEBR. MDCCXLI.

SUBMITTIT

CAROLUS SIBETH,

GUSTROV. MECKLENBURGICUS.



MARBURGI CATTORUM,

TYPI S PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYP.

P. 225.

1741, 5



D. D. E. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA

ALLENATIONE

ET
OMISSIONE
MINORUM VALIDA

ATQUE IN VALIDA

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
SACRAMENTUM SACRAE THEOLOGICAE

DR. FRIDERICO

PROFESSORI
HONORARIO IURIS
PRAEPOSITO ACADEMIAE
SACRAE THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
HALLENSIS

PRO LUCCIA

SEMMOS IN URGOE JUI MONOES AC
PRIVILEGIA OBTINENDI

AD OBTINENDI

CAROLUS SIBETHI
AD OBTINENDI
PRIVILEGIA OBTINENDI
AD OBTINENDI
PRIVILEGIA OBTINENDI
AD OBTINENDI
PRIVILEGIA OBTINENDI

AD OBTINENDI
PRIVILEGIA OBTINENDI
AD OBTINENDI
PRIVILEGIA OBTINENDI



A MONSIEUR,
MONSIEUR
CLAMOR WESSELL,
GRAND JCTE ASSESSEUR DU
HAUT TRIBUNAL DES PAIS DE MECKLENBOURG,
ET CONSEILLER DE LA COUR DE S. A. S MON-
SEIGNEUR LE DUC DE MECKLENBOURG
STRELITZ.



Monsieur
Monsieur
A Monsieur
Monsieur
CLAMOR WESSELL
GRAND JURY ASSISES DU
HAUT TRIBUNAL DE MACKLEMBURG
ET CONSEILLER DE LA COUR DE S. A. S. MON-
SIEUR LE DUC DE MACKLEMBURG
STETTIN



MONSIEUR
MON TRES CHER ET
TRES HONNORE ONCLE,

IE ne Vous dois des témoignages autenti-
ques de ma reconnoissance, que dès,
que je suis au monde. le me suis effor-
cé jusqu'ici de Vous l'exprimer par des
paroles; la tentative, que je fais meme au-
jourd'hui, de Vous en donner une preuve
plus réelle par une dédicace des primices de
mes études, me paroît encore bien foible en
comparaison de la multitude de Vos bien-
faits, l'ose cependant esperer *MONSIEUR*, que
Vous ne desagréez point mon empresse-
ment à me signaler auprès de Vous, & à
faire connoître au public, qu'après Dieu je
Vous dois tout ce que je suis. Le commen-
dement militaire me priva pour jamais de la
présence de mon Père, & jusqu'avant deux

):(3 années

anneès de celle de ma mere; jetois encore bien jeune, lorsque cela arrivât, je ne pouvois guères juger alors de la perte, que je venois de faire; Mais Votre bonté sans egalle Vous portant à me prendre entre Vos bras, je ne m'apperçû en aucune maniere du malheur de ceux, qui se trouvent sans des parans. Je me croirois assez heureux *MONSIEUR*, d'être simplement de Vos parens, mais quel bonheur pour moi, d'être honoré du glorieux titre de Votre fils, & d'en ressentir les effets les plus pretieux. Vous m'élevâtes, Vous m'aimâtes, Vous me regardâtes comme Votre cher fils. Vous me fites instruire des plus saines principes de la Morale & de la religion, & Vous me fournîtes ensvite tous les moyens de pousser mes études jusqu'au point où je suis maintenant, de devenir Licencié en droit, après m'en avoir fait apprendre la pratique a la Chambre Imperiale de Wetzlar. Quel père en feroit davantage, & pour quel enfant épargneroit on moins les depenses. Une conduite aussi généreuse a mon egard mériteroit des eloges tout particuliers; mais puisque Vous me les defen-

fendez, je suis charmé, de ne les point tenter, sentant bien, que je ne saurois jamais Vous louer autant, que Vous le meritez. En reconnoissance cependant *MONSIEUR*, j'ose me flatter, que jamais personne ne me surpassera en diligence, de Vous plaire, & que mes voeux seront toujours des plus ardents pour V^ôtre santé & prospérité, aussibien que pour Madame V^ôtre chere Epouse ma tres honoré Mère. Vous êtes maintenant l'un & l'autre les maitres de mon sort, je le remets entre Vos mains, mes desirs ne sont, que de me sacrifier pour Vous & pour Vos interêts. Parlez, Vous serez obeïs, car il n'y a point de Soumission pareille à celle, avec laquelle je me ferai toujours gloire de me dire

**MONSIEUR MON TRES
CHER ET TRES HONNORE ONCLE**

Marpurg ce 24. Février
an. 1741.

*Votre très humble & très
obeissant serviteur*

CHARLES SIBETH.



PRÆFATIO.

NUllam sane juris doctrinam difficultatibus minus insuperabilibus, quam illam de minoribus obnoxiam esse, legum peritis in aprico est. Omnia ibi maxime confusa, diffusa & non satis ad principia sunt reducta. Qualem evolvat questionem, cohortes Drum pro affirmativa, legionesque pro negativa strenue acriterque pugnantes invenies. Leges ipsæ non satis distincte loquuntur, & quantum analogia juris in privilegiis pupillorum vel ecclesiarum ad minores applicandis tribuendum sit; hoc opus hic labor est. Ex speciali quondam gratia Professoris cujusdam illustr. celeberrimi, quo solertiore præstantioreque quin parem in solidissima juris theoria & praxi haud vidi, præceptoris æterno observantia atque amoris cultu devenerandi, acta satis curiosa hac in materia ad referendum mihi committebantur. Facillimam initio istam relationem putabam. Ast cum serio quidem cogitare incepissem; aqua semper hærebat, & tanta ut dixi veritatis ac consilii penuria, non sine magno periculo pensum me absolvisse, lubenter confiteor. Hinc occasionem nactus, ne in perpetua incertitudine anxie versarer, sistema mihi formavi, atque quid circa alienationem rerum in patrimonio minorum jam existentium, & omissionem earum, quæ non, nisi præcedente voluntatis declaratione in patrimonio minorum esse possunt, juris sit; regulas generaliores concepì. Totum quidem sistema, ne limites dissertationis transgrededer, non explanare, ea tamen attingere saltem libuit, quæ præ ceteris mihi ob stare deprehendi. Si quæ tibi observantur B. L. quæ Praxi observari negas, ista ut problemata me proposuisse, putes. Totus autem labor si tibi displicet, navos meos ostendas velim; quibus probatis, opinionem tuam quam lubentissime me amplexurum, spondeo. Sape enim ut Imperator ait, de facultatibus suis amplius quam in his est, sperant homines. Hæc mihi saltem voluntas superest, ut, veste propria etsi vili atque humili, quam dignissima clam aut precario aliis direpta aut mutuata superbe incessisse, satius existimem.

PRÆMITTENDA.

§. I.

AD inducendam obligationem requiritur voluntas libera atque intellectus (a), quibus requisitis qui caret, vel carere fingitur, valide obligari nequit.

(a) 1) Habes hic rationem, cur jure Civ. error, substantialis quodvis pactum vitiet. l. 116. §. 2. ff. de R. I.

2) Intellectum sumo pro judicio maturo. Cujus utilitatem v. §. 8. 45. &c.

§. II. Qui intellectu caret, impeditus: qui autem voluntatem non habere fingitur, prohibitus salutatur.

§. III. Alienatio definitur per remissionem ejus, quod in patrimonio nostro est SCHOEFFE. ad ff. quæ in fraud. cred. n. §. & 6.: vel, per patientiam & factum, quo quis desinit habere, quod habet. l. 3. §. 1. & 2. ff. eod. Fura, & lucra ex juribus resultantia, vel sine ulteriori voluntatis declaratione jamjam sunt in patrimonio nostro, vel voluntatis declaratio ad ea obtinenda adhuc requiritur. Rationem v. apud KOEHLER in J. Nat. §. 1272. Priori casu remitti, atque ita alienari, posteriori (a) autem non remitti, sed omitti tantum queunt vi definitionis.

(a) Sub hoc genere hereditates, legata, donationes, &c. procul dubio censenda sunt. Cum itaque in actione Pauliana, in fraudem creditorum alienata, non vero omissa revocentur; maximum contra illam solamen hic invenies. Sicque ab amicissimo mihi Dno. DAN. NETTELBLADT in dissert. De actionis Paulianæ vero fundamento, objecto, & duratione amice dissentire liceat.

§. IV. Non impeditus nec prohibitus bona sua valide obligat §. 1 & 2. Ad inducendam obligationem requiritur voluntas libera, §. 1. ejusdemque in eandem causam declaratio (a), sive pro re nata consensus, aut ratihabitio. Consensus est de Substan-

A

tin,

tia, aut si maior causa efficiens contractuum. Alienatio est effectus contractuum. E. qui bona sua obligare, ille & consentire, & ratihabere, & contrahere, & alienare ut possit, necesse est.

(a) Causa vel agitur, vel acta jam est. Priori casu consensus, posteriori autem ratihabitio in jure vocatur. Ratihabitio itaque est voluntatis in causam actam declaratio.

§. V. Non impeditus lucra ad qua obtinenda voluntatis declaratio adhuc requiritur §. 3. (a) valide omittere potest, nisi lege prohibente §. 1 & 2. Omissio fit vel accedente aliquo facto, vel non. Si prius, dicitur mihi omissio simplex, si posterius, renunciatio (b). E. non impeditus nec prohibitus ea simpliciter omittere & renunciare potest.

(a) Quoties omissionis lucri infra mentionem faciam, semper intelligo hujusmodi, vel nondum acceptatum lucrum.

(b) Hac renunciatio, si hereditatem vel legatum pro objectis habet, repudiatio audit.

§. VI. Minor judicio maturo §. 1. n. a. 2. præditus, non est impeditus §. 2. E. valide (a) obligari, consentire, contrahere, alienare §. 4. & omittere (b) §. 5. potest, nisi in quantum lex obstat.

(a) Hoc jure Civ. obtinere docet l. 16. ff. de min. ubi minor in negotiis ipso jure nullis non restitui dicitur, hac addita ratione: Satis enim ipso jure i. e. remedio ordinario (restitutio enim est extraordinarium) munitus est. Restituitur itaque in negotiis, contra qua remedio ordinario non munitus est, i. e. in negotiis validis.

(b) Quod autem ubi præscriptiones perpetua locum sibi vindicant bene, non autem in præscriptionibus temporalibus simpliciter omittere possit, exinde patet; quia præscriptiones temporales ei non currunt, & contra præscriptionem perpetuam restitutionis beneficium competit. Id quod uberius evincam infra §. 55. & 57.

§. VII. Nulla alienationis & omissionis §. 5. n. a. & §. 6. n. b. minorum interdictio in legibus deprehenditur, exceptis duobus casibus. 1) ubi illis Curator datus 2) ubi Decreto Magistratus opus est. De singulis speciatim.

SECTIO

SECTIO I.
DE MINORIBUS, CURATORE DATO, ET NON
DATO, ALIENANTIBUS, OMITTENTIBUS.

CAP. I.
CURATORE DATO.

§. VIII.

Judicium maturum §. 1. n. a. 2. serio quidem cogitare potest, non semper tamen ita agit; Juveniili præsertim ætate non semper serio cogitat, sed sapissime superficialiter & absque deliberatione gravi viro digna obvenientia tractat. Id quod legibus vocatur *lubricum ætatis* judicium.

§. IX. Curator rebus (a) non personæ (b) minoris, neque ad validitatem (c) actus perpetuam (d) datur (e).

(a) 1) Quam nullus antiquissimis Germanis fundus, nullæ domus proprii essent Tac. de mor. Germ. c. 26. sequitur, quod curatorem rerum minoris immobilium per naturam Politicæ suæ plane ignoravit.

2) Rerum divisionem generalem exhibet pr. J. de rer. div. quod sint vel in, vel extra patrimonium. Rerum in patrimonio existentium divisionem quære ex §. 1. J. de reb. corp. & incorp. quod sint vel in corporales, quæ in jure constituunt, vel corporales. Has l. 1 §. ff. de re judic. iterum subdividit, in immobiles, & mobiles. Mobiles ex communi DD. opinione, vel sunt tales quæ usu servari possunt, vel minus. v. infra §. 27. n. a. Et tandem res mobiles, sunt vel pretiosæ, vel minus.

(b) arg. l. 9. §. 4. ff. de minor. ubi minor vendere se posse dicitur. Quod in pupillo secus.

(c) Nam minor sine Curatore constitutus valide contrahit v. §. 65.

(d) Quia contra factum ejus restituitur.

(e) Invitis olim non constituebatur §. 2. J. de Curat. id quod tamen mutatum per Ord. Polit. de 1577. Tit. 32. An autem (1) detur Curator certus, & a lege demonstratus neg. de jure Civ. Quicquid enim de agnatis pr. J. de legit. agn. tut. §. fin.

§. *fn. J. de cap. dimin. & de cognatis Nov. 118. c. 5.* dispositum legitur; de Tutoribus, non autem de Curatoribus intelligendum est. Quid quod potius contra hanc vel illam personam minor excipere possit *arg. §. 4. J. de Susp. Tut. & Cur.* Affirmatur autem de jure Publ. Germ. in Electoribus, quippe quibus proximus agnatus Curator legitimus constitutus est v. *A. B. Tit. 7. §. 4. 2)* testamentarius? Neg. de jure veteri, propter §. 1. *J. de Cur.* Rationem ex §. 8. & 9. *J. de pupill. substit.* conjicio; quia nimirum pater testator filio quidem impuberi, non autem puberi rerum suarum dispositionem adimere poterat. Correctus tamen est iste §. *cit.* per *Nov. 118. c. 5.* ibi *minoris aetate*, & adhuc clarius per *Auth. C. sicut hereditas ibi minoribus.* Id quod *Ord. Polit. l. cit.* postea corroboravit.

§. X. Quid superest? ratio unica, hæcce nimirum: ut eo magis minori prospiciatur, ne ob lubricum ætatis, bona ipsius minuantur. Bona mea diminuens, me lædit (a). Curator igitur datur ad evitandas in bonis minorum læsiones; quæ ob lubricum ætatis accidere facile possunt.

(a) Læsis est violatio rei sui. Violans, vel non vult præstare quod debet, vel non potest. E. læsio non præsupponit dolum, quem nec leges in læsione semper requirunt *l. 5. C. de in int. rest.*

§. XI. Ex hisce rationibus leges Curatori administrationem bonorum privative (a) concessere §. 3. *ff. de min.* minoremque Curatore dato, non ab similem minori cui bonis interdicitum est (per quem GOTHOFR. & PERETZ prodigum, SCHNEIDEW. autem rectius pupillum infantem intelligit) declararunt. *l. 3. C. de rest. in int.*

(a) Nec officit, quod Curator *consentire* dicatur, adeoque minor principaliter agat. Hanc enim juris subtilitatem, per non minus subtilem distinctionem explicare conatur LAUTERB. ad *ff. T. de Curat. & Cur.* ibi *minor licet habeat velle, non tamen habet posse* v. VANT. *de nullitat. p. 363.* Sufficit autem mihi hic, quod, minorem sine Curatore suo nihil valedi ad effectum deducere posse, demonstrarim.

§. XII.

§. XII. Minor Curatore dato, vel 1) eo consentiente, vel 2) non consentiente agit. Sic prolabor in distinctionem cap. huj. r.

CAP. I. MEMBR. I.

DE MINORE SINE CURATORE SUO ALIENANTE ET OMITTENTE.

§. XIII.

Curator datur ad evitandas læsiones, quæ contingere possunt §. 10. E. minoribus non interdicti sunt actus, quibus lædi plane nequeunt. Hinc sine Curatoribus suis per testamenta, legata, donationem inter vivos, & mortis causa valide alienare possunt. v. *SCHÖEPFF ad ff. p. 430. U. M. ad T. qui test. fac. poss.* Hinc quoque valide contrahunt, quoties alios sibi obstringunt. *arg. l. 6. ff. de V. O. & pr. 7. de auth. Tut.*

§. XIV. Curator datur ad evitandas læsiones §. 10. Læsiones continent & alienationem & lucri §. 5. n. a. & §. 6. n. b. omissionem (a). *STRUV. Synt. jur. Civ. ad T. de min.* Eo ipso, quo Curator datur, minor, quin tale quid committat ex quo lædi possit, prohibetur (b). §. 11. Actus (c) contra prohibitionem susceptus non est validus. E. minor Curatorem habens, illo non adhibito, neque valide lucro §. 5. n. a. renuntiat, neque bona sua obligat (d) neque contrahit, neque alienat, *arg. §. 2. J. quib. al. lic.* etiamsi juramentum accesserit (e).

(a) Ne tamen contra definitionem læsionis §. 10. n. a. impingam, notandum hic est: quod debitor minori non solum verum pretium aut solutionem, sed & in rem versionem debeat, imo quod cum lædat, qui donationem ab eo accipit, vel immobilia, & quæ his comparantur, si minoris interest, rem potius quam pretium ut habeat, ab eo emit: item si negotium aliquod, ex quo litibus & processibus implicatur, cum eo celebrat *l. 7. ff. de min.* ut & quod omne lucrum in ejus favorem tanquam ex altera parte debitum consideretur. Nullam enim aliam video rationem, cur in his & similibus restitutio concedatur v. §. 40.

(b) Maxime dissentiens hic habeo *COLL. ARGENT. p. 326.* quod duas ad stabiliendam suam sententiam rationes in medium

dium profert 1) de causa proxima. Sed & Imperatorem hic ita loqui voluisse: Non habeatis sane cives legem specialissimam & in terminis, quamvis eam habeatis involutam, qua minori sine Curatore suo alienatione interdicitur, de pupillis autem, quod, sine Tutoribus quin alienent, prohibiti sint, abundantur instructi estis; Hinc jubeo, quod minor Curatorem habens, ejusdem in hoc casu cum pupillo conditionis esse censeatur i. e. æque prohibeatur ac pupillus, Consentit BERG. Oecon. p. 564. HUB. pral. ad F. T. quib. alien. lic. n. 4. in fine GERH. NOODT de pact. & transact. c. 20. 2) Hoc uritur argumento. Cui diminutio interdicta est, is non habet in bonis; minores autem habent in bonis. E. diminutio bonorum absque Curatore suo illis non est interdicta. At u) major claudicat. In bonis enim habere idem est, ac in patrimonio habere HUB. ad F. T. de rer. div. n. 2. Aperti autem juris est, quod minores, quamvis prædia in patrimonio habeant, ea tamen neque obligare neque alienare possint v. infra §. 76. 3) Argumentum istud contradicit argumento priori. Nemo enim negare audebit, de pupillis dici posse, quod habeant in bonis. Hinc secundam tradita ipsius concludere possem: diminutionem nec pupillis sine Tutoribus suis alienantibus esse interdictam; Cujus tamen contrarium MERIUS noster ipse sustinuit l. cit. v) Vides, quam male eapropter cohæreant ipsius dicta l. cit. ibi. Minor tenetur ex actione emti, contractum tamen servare non cogetur: sin conveniatur, ut contractum servet: poterit se defendere opposita in factum exceptione: quod Curatorem habens sine eo tamen contraxerit, qua efficit, ut rem possit retinere, pretio restituto. Sed ut reliqua taceam, qualis est ista in factum exceptio? monstra de ea legem, & annon revera idem est, ac si scripsisses: minorem sine Curatore suo alienantem adversario suo posse opponere, alienare haud possum, prohibitus sum, quamvis naturaliter i. e. in quantum locupletior exinde factus sum, me tibi teneri, lubenter confitear.

(c) Impossibile est, ut minor sine Curatore suo simpliciter omittere possit. Curator enim lucrum obtinendum esse nesciens, vel

vel sciens & tacens, simul omittit §. 6. n. b. Sciens autem & in iudicio agens impedit quoque omissionem minoris simplicem. Non entis nulla sunt prædicata. Restat igitur tantummodo sola renunciatio, quæ cum sub voce actus non minus quam alienatio veniat; de renunciatione & alienatione non vero de simplici omissione in hoc membr. 1. sermo mihi erit.

(d) Ne tamen obstare videatur l. 101. ff. de V. O. explicationem ad & refero quadruplicem. Intelligenda enim est 1) vel de obligatione naturali i. e. in quantum minor locupletior factus est. l. 1. §. ff. de conf. & auct. tut. aut 2) de stipulatione, qua minor personam suam obligat v. §. 9. n. b. STRUV. in GOTHOFRED. Immo p. 391. Nec quicquam facit, quod stipulatio non semper solas personas, sed & res attingat. Sciendum enim est, abruptam, maxime concisam, & excisam quasi hanc legem esse ex tract. Modestini de prescript. ut adeo non liqueat, qualem hic intellexerit stipulationem, in dubio tamen explicationem convenientiorem esse eligendam. Aut 3) de minore Curatorem non habente MÜLLER ad STRUV. p. 456. cui tamen obstat vox legis suis. 4) Penitus singularem opinionem v. apud HUB. præl. ad §. de inut. stip. n. 5.

(e) Non obstat Authent. C. Sacram. pub. juramenta enim novam non inducunt obligationem, ubi prohibitio in contrarium adest. Quid quod per juramentum restitutionis tantummodo beneficium minor privetur, quæ tamen hoc casu non, sed nullitatis quærela conceditur §. 20.

§. XV. Ad impossibilia tam moralia quam physica se obligans, ceti intellectu destitutus procul dubio censendus est. Actus prohibiti moraliter sunt impossibiles, vel iudice ut loquar, sunt nulli (a) E. alienationes & lucri §. 5. n. a. renunciationes minoris, sine Curatore suo factæ, sunt nullæ PERETZ ad C. p. 97. num. 7. HUBER l. cit. l. 6. ff. de V. O. & reputantur ut plane non gestæ. Hinc actiones ab initio competentes semper sunt in salvo, & minor nulliter renuntiata, ita ac si non renuntiasset, sibi acquirit. & dominium, quod in alienatis habuit, ab eo discedere non potest. Vindicare itaque & revocare licet & alienata & reuuntiata. Nec quic-

quicumque facit, quod ad tertios possessores jam pervenerint.
 ROSAC. *obs. c. 77. n. 75. l. si prædium C. de præd. § 2. 7. quib. alien. lic.*

(a) Nullitas itaque est impossibilitas (Prisciane da veniam voci) moralis.

§. XVI. Actus prohibiti reputantur ac plane non gesti §. 15. Hinc facile intellectu, minorem, contra prohibitionem alienantem, si per rei vindicationem res alienatas recuperavit, reddere etiam debere ea, ex quibus locupletior factus est: i. e. naturaliter teneri. *l. 1. § 5. ff. de conf. & auct. Tut.*

§. XVII. Nullitas ex communi DDorum opinione (a) est vel sanabilis, vel insanabilis (b). Alienatio minorum inducit nullitatem 1) sanabilem, si Curatoris consensus & (ubi opus est) decretum Magistratus accedit 2) insanabilem, illis non supervenientibus. Renuntiationis autem nullitas sanatur per consensum Curatoris tantum. Non enim opus est Decreto.

(a) Hæc distinctio jure Civ. eam non expresse adhibente, DDibus usitata, per *R. l. noviss. Art. 122.* confirmata est. Plura v. BRUCKNER *dissert. de nullitate san. & insan.*

(b) Nullitas sanabilis vi definitionis §. 15. n. 2. est impossibilitas moralis, quæ ad statum possibilitatis adhuc reduci potest, & nullitas insanabilis, quæ ad illum statum reduci nequit.

§. XVIII. Renuntiationis nullitas sanatur per Curatoris consensum §. 17. per dissentium ejus, effectu quoque caret.

(a) E. nunquam insanabilis esse potest (b).

(a) Curator dissentiens, contrarium aliquid renuntiationi minoris facere debet, nam si per totum curatellæ tempus tacuerit, & rem in pristino statu permanere siverit, consentiisse maxime videretur.

(b) Quæris: quare renuntiatio ista prædicetur invalida? cum tamen ipse confitear, nunquam illam esse insanabilem. Atque totum illi thesi inesse fundamentum, cur minori insciente vel dissidente Curatore renuntiandi actio rei vindicatoria competat. Si enim renuntiatio ista valida esset, non posset non sequi, nullum aliud in casu §. 15. exposito superesse remedium, quam in integrum restitutionem. Id quod tamen legibus & rationibus ibi adductis repugnaret.

§. XIX.

§. XIX. Nullitate sanata, actus invalidus retro convalescit (a). Minor in actu valido læsus, restituitur. E. quæ de restitutione infra dicentur, ea & huc pertinent.

(a) Habes hic rationem, cur minori hereditatem sine Curatore suo repudianti restituito, non vero querela nullitatis concedatur. l. 2. C. si min. ab her. se abstin.

§. XX. Propter nullitatem insanabilem agenti, competit querela nullitatis, seu remedium ordinarium (a) §. 6. n. a. Nullitas secundum diversa ob- & subjecta diversis præscribitur & rati habetur temporibus. Hinc tantum temporis, quantum ad negotium nullum rati habendum, aut præscribendum alias requiritur, minori nulliter alienanti patebit.

(a) Negari tamen nequit, quosdam in jure reperiri casus, ubi in aperitissima quoque nullitate extraordinarium seu restitutio indulgetur e. gr. in l. 2. C. de præd.

§. XXI. Nulli in legibus minores jurium omnibus generaliter concessorum incapaces esse dicuntur, nisi diversitas in statu ipsorum deprehendatur (a). Cum itaque nullitas insanabilis secundum communem & in Camera Imp. receptam opinionem 30. annis præscribatur; B. L. U. M. Proc. Cam. p. 426. n. 15. sequitur: ad nullitatem non solum minoribus sed & majoribus subvenientium præscriptionem 30. annos requiri.

(a) E. minor a sententia contra ipsum lata appellare potest; quamvis PERETZ ad C. si adversi. rem judic. n. 1. dissentire videatur.

§. XXII. De ista autem nullitate hic mihi non, sed de ea tantum sermo, quæ in minorum solummodo favorem introducta est, vel ut cum BERGERO in Oecon, p. 199. loquar, non dico de nullitate *substantiali*; sed de nullitate *ex omnis solemnibus* descendente. Hæc autem non præscribitur, sed rati habetur pro re nata §. 10. 20. annis (a) v. BERG h. c. SCHULTES. qu. 15. & 16.

(a) Obstare videtur l. 9. C. de usuc. pro emt. Ast 1) legem cit. de pupillis non vero de minoribus loqui 2) Exceptionem quidem usucapionis, non autem rati habitationis ibi refelli. Cujus differentia in eo potissimum consistit, quod fundamentum
B
exceptio-

exceptionis *ratibabuisse*, in persona minoris adepta majorennitate consentientis; exceptionis *usucepti* autem fundamentum in persona alterius legitime præscribentis sic collocandum.

§. XXIII. Propter nullitatem insanabilem, quæ & majoribus & minoribus prodest, ambæ partes agere possunt. Hinc non solum minori contra majorem, sed & majori contra minorem actio in mundo est. Cum autem minoribus ætas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesse consuevit; *l. 14. C. de Procur.* aperti juris est, minores quidem, non vero eorum adversarios propter nullitatem in minorum tantummodo favorem introductam agere posse.

§. XXIV. Minori propter nullitatem insanabilem agentii non obstat, quod læsus non sit. vi definitionis & naturæ nullitatis §. 15. n. a. l. 2. *C. de præd. (a)*.

(a) Ubi dicitur, quod propter nullitatem regulariter non restituatur, si tamen in specialissimo ibi proposito casu restituat velit, hoc tum demum procedere possit, si læsionem probet. Ex quo apparet, læsionem ad nullitatem non requiri, nullumque ei plane addere momentum.

§. XXV. Quodvis assertum non addita ratione pronuntiarum devenit dubium, altero contradicente, vel præsumptione pro contrario militante. Minor, qui in iudicium deducit, nullitatem insanabilem eapropter, quod sine Curatore suo alienaverit, se commississe; ostendit 1) sine Curatore suo se egisse 2) legem prohibitivam in contrarium adesse. Atqui quoad 1mum, minorem sine Curatore suo egisse est circumstantia, quæ non præsumitur, sed ab allegante probanda est; & quoad 2dum, lex prohibitiva derogat libertati naturali, quæ tamen semper præsumitur. E. minor nullitatem hanc insanabilem se commississe asserens, assertum suum probet (a).

(a) 1) Obmovers: *Dolum majoris cum minore sine Curatore suo contrahentis semper præsumi* CARL ANTONELL *de tempore legali* L. 2. c. 65. n. 5. præsumtionem autem juris pro se habentem, a probatione liberati. Sed & Sermonem hic esse de nullitate, ubi nec læsio, atque ita multo minus dolus in censum venit §. 24. materiam doli hic exulare, & ad restitutionem.

tionem in integrum restringendam esse, hanc itaque præsumptionem non nisi lubrico nisi fundamento.

2) Quid autem probata nullitate, circa in rem versionis probationem juris sit, non hic, ubi de nullitate ago, sed infra ubi de læsione (nonversio enim non inducit nullitatem, sed læsionem.) differendum erit, adducam.

CAP. I. MEMBR. 2.

DE MINORE, CONSENTIENTE CURATORE,
SUO ALIENANTE, ET OMITTENTE.

§. XXVI.

Minor neque impeditus neque prohibitus, lucra §. 5. n. a. valide omittit §. 6. Atqui minor iudicio maturo præditus, & cum Curatore suo renuntians, neque impeditus §. 6. neque prohibitus est §. 7. E. consentiente Curatore lucro, sive in mo- sive immobilibus consistenti valide renuntiat (a).

(a) Nec obstat l. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui sub tut. Imperator enim hic intelligit legatum jam semel acceptatum, & postea iterum renuntiatum. Id quod aperte declarat per verba: *est enim & hæc alienatio, cum res sit pupilli.* i. e. postquam res pupilli facta est. Nondum acceptata enim non sunt in patrimonio. E. non possunt alienari, sed tantum omitti §. 3.

§. XXVII. Minor non impeditus nec prohibitus, valide alienat §. 6. Alienatione rerum inobilium, non pretiosarum, quæ servando servari (a) non possunt, minori, consentiente Curatore, non interdicitur. E. eo adhibito, illa valide alienat (b).

(a) 1) Rerum divisionem attuli §. 9. n. a. 2. Imperator Severus adstrinxit Curatores, ut omnia minorum bona, servatis tantum prædiis rusticis vel suburbanis, venderent, ad nummosque redigerent l. 22. C. de admin. Tut. l. 1. ff. de rebus eor. Severi sententiam Imp. Constantinus subvertens, Curatoribus omni plane alienationi interdixit, exceptis vestibus usu detritis, & animalibus supervacuis l. cit. 22. & l. 4. C. quando decreto opus. Quoniam autem præter illa, nonnulla ad-

huc non minus servari queunt; DDres hanc rationem pro regula assumserunt, atque sic enata est hæcce rerum mobilium distinctio.

2) Res quæ servari nequeunt, describunt quidem GOTHOF. in not. ad Tit. C. si advers. usuc. MONTANUS c. 33. n. 166. & BRUNNEM. ad C. p. 652. per eas, quæ ultra triennium durare non possunt; sed rationem legum perpendens, illas res corruptelæ obnoxias puto, quæ usque ad majorennitatem salvæ manere nequeunt.

3) Ratio cur minori & Curatori alienatio earum tantummodo rerum, quæ neque pretiosæ sunt, neque servari possunt, permittitur, hæc est: quod per earundem alienationem non ita magnum damnum regulariter affertur. Hinc lubricam esse puto quæstionem: an non iudicis decretum requiratur, si minore permultis ejusmodi bonis, nullis vero immobilibus nec pretiosis instructo, alienatio maximæ istorum bonorum partis necessaria est.

(b) E. etiam pecunia ad prædiorum emtionem destinata, sine decreto valide alienatur GAIL. l. 2. obs. II. n. 3.

§. XXVIII. Minor non impeditus nec prohibitus, valide contrahit §. 6. E. consentiente Curatore res suas, etiam immobiles (a) alteri locare, commodare &c. valide potest.

(a) Alienatio rerum immobilium quidem, non vero earundem locatio &c. legibus prohibita deprehenditur.

§. XXIX. Minor in negotio valido læsus, elective (a) agere potest REMEDIO ORDINARIO adversus Curatorem, & EXTRAORDINARIO adversus alterum paciscentem, in SUBSIDIUM autem, excussis sc. prius Curatore, ejus fidejussore, herede, & altero paciscente, contra Magistratum.

(a) Licet a Curatore rem suam consequi possit HUB. ad ff. de min. n. 5. LYNCKER Dec. 978. v. tamen §. 51.

REMEDI. ORD. §. XXX. Cujus nulla plane culpa subest, illi nequit imputari eventus. E. Curator culpa vacans, non tenetur l. 37 & 50. ff. de adm. & per. Tut. Hinc non respondet de iis, quæ minor eo inconsulto & inscio gessit.

§. XXXI. Si negotium ita est comparatum, ut etiam diligens paterfam. facile quid prætermittere possit, it. in negotiis

gotiis ab alio gestis, necessariam tamen cum officio Curatoris connexitatem habentibus, ad latam culpam præstandam legibus adstringitur l. 7. §. 2. ff. de adm. & per. Tut. l. 2. C. de arbit. Tut. in factis autem alienationis & omissionis propriæ, licet minor consenserit, levem præstat culpam, (a) l. 7. eod. nec spectandus eventus, sed intentio l. 3. §. 7. ff. de contr. Tut. & ut. act. l. 10. §. 1. ff. de neg. gest. nec nimis amare & ridige rationes sunt excutiendæ U. M. ad ff. de contr. Tut. & ut. act. Excluditur itaque culpa levissima & casus (b). Curator autem falsus vel se obtrudens ad culpam levissimam præstandam adstringitur.

(a) Consilio agens, circumspecte agit, circumspecte agentis culpa imputari nequit. E. Curator qui consilio matris minoris, vel boni viri stipatus egit, conveniri non debet CARD. TUSC. lit. T. concl. 439. n. 36.

(b) Specialissimum tamen casum habes in l. 3. C. de per. Tut. & Cur.

§. XXXII. Curator datur ad avertendas læsiones §. 10. E. etiam ad vindicanda & recuperanda nulliter alienata & renuntiata. Contra Curatorem in culpa levi deprehensum minor experiri potest §. 31. Atqui Curator, removendo ea, ex quibus actio contra eum aliquando dari possit, injuriam nemini faciens, non attentata minoris contradictione, oprimo jure illa removet. Leges enim tam injuriæ non sunt, ut damnus imponant ei, qui aliter agere non potuit. E. etiam, minore invito, a minore alienata & renuntiata vindicare, atque revocare poterit (a), etiamsi jamjam distracta sint §. 15.

(a) Id quod & brocardico illi juridico, *minorem consentire quidem non vero contradicere posse*, convenit. v. etiam §. 11. n. a. Ex hac mea thesi alia quoque fuit argumentatio: In convenientia malorum minus malum induit naturam boni, THOMAS *fund. jur. Nat.* atque ita parva donatio, qua magnam evitatur malum, loco lucri venit. E. Curator ad evitandam magnam bonorum minoris jacturam, eo inscio & invito, modice donare & alienare poterit. Nec obstat l. 16. C. de adm. Tut. Nam si Tutori ad dignitatem pupilli sustinendam ea licita sunt; l. 10. & 12. ff. de adm. & per. Tut. nullus dubito,

bito, quin & Curatori donatio maxime utilis, quinimo necessaria permiffa fit.

§. XXXIII. Bona Curatoris minori tacite sunt oppignorata. l. 20. C. de adm. Tut. HUB. ad ff. quib. ex caus. pign. tac. n. 4. E. Curator, etiamfi non caverit, a minore conveniri potest.

XXXIV. Curator prohibetur, ne a minore neque ipse, neque per alium l. 2. §. 1. ff. de adm. rer. ad civit. emat, nec pecunia ejus sibi quid acquirat. Utroque enim casu puni- tur, & quidem altero quadruplum, l. 46. ff. de cont. emt. altero autem, pecuniam cum usuris legitimis (a) reddere debet (b) l. 3. C. de usur. pup. l. 7. §. 10. ff. de adm. & per. Tut.

(a) Hodie per R. Dep. 1600. §. so viel nun diesenmach 20. 5. procentum pro usuris legitimis habentur. Hinc quoque eas hic sufficere reputo. Centesimas enim nec hodie dari v. HUB. ad ff. de usur. & fruct. n. 20. Per expressam autem Constitutionem Moguntinam 6, pro Centum hoc casu debentur.

(b) Lege non distinguente, nec meum est distinguere. Idem itaque juris est, an minor consenserit, an, Curatorem hoc modo egisse, plane ignorarit.

XXXV. Curator, quem pater nominavit, & judex confirmavit, vel dedit, circumspectus & a fraude alienus censendus est. Hinc militat pro eo præsumtio, honeste & decenter suo se officio functum esse. Probet igitur minor, si adstruat, contrarium. Contraria autem præsumtio facit contra Curatorem falsum, vel se obrudentem. Hinc probatio, se bene egisse, illi incumbit.

§. XXXVI. Actio ista perpetua est, & præscribitur 30. annis l. 3. ff. de contr. tut. & ut. act. l. 8. C. de arb. Tut. qui & scienti & ignoranti currunt l. 3. in f. C. de præscr. 30. vel 40. ann.

REMEDI. EXTRAORD. §. XXXVII. Quam-
cunque læsionem pactum reddere nullum, statuit jus
Nat. Ast rigidissimi quondam Quirites, perpetuis liti-
bus quasvis læsiones ansam daturas esse prævidentes,
disposuerunt: contractum secundum leges in initum ex ca-
pite

pite læsionis non esse nullum, sed potius, ut læsiones decepti imprudentiæ, coacti metui suo haberent, voluerunt. Facie Reipubl. Romanæ insequentem tempore mutata, Prætores, æquitati hanc sententiam contrariari judicantes, ad principia juris naturæ recurrere, læsisque subvenire studuerunt. Cum tamen leges veterum plane intervertere non auderent, atque ita majoribus suppetias ex voto ferre haud possent; lubricum autem ætatis iudicium, & factum alienum seu Curatoris, speciosissimum pro minoribus argumentum suppeditaret; artificiosam satis restitutionem in integrum tandem excogitarunt; quippe qua a majoribus in quibusdam, a minoribus in omnibus fere (a) læsionibus impetrata, res in pristino statu mansisse fingeretur. Prætores sequuti sunt quidam Cæsares, qui propter rationes politicas legibus veteribus non derogantes, restitutionis in integrum materiam tamen auxerunt e. gr. l. 2. C. de rescind. ven. l. 3 ff. de min.

(a) Non tamen minimis, quippe quas Prætor non curat, l. 22. ff. de min.

§. XXXVIII. Jura majoribus competentia, minoribus quoque, salvo tamen eorum statu, profunt §. 21. E. in quibus causis majores, in illis etiam minores (salvo statu) restitui possunt. e. gr. propter dolum, metum, ignorantiam &c. De hac tamen restitutione hic mihi non, sed de ea solummodo sermo, quæ minoribus ut minoribus conceditur.

§. XXXIX. Minor Curatorem habens, & consentiente illo agens, restituitur ob læsionem ex alienatione & omissione §. 7. & 6. n. b. sua & Curatoris sui, proveniente §. 37.

§. XL. Minor in negotio valido non, nisi ob læsionem (a) restituitur.

(a) Tres alias restitutionum causas jura indicant, nimirum 1) dolum adversarii 2) facilitatem l. 44. ff. de min. & 3) negligentiam minoris l. 24. eod. quas aliæ leges toties quoties repetunt, læsionem autem tanquam causam unicam raro expresse demonstrant. Verum enim vero, ubi nulla læsio adest, ibi restitutio minoribus non conceditur l. 9. §. 4. ff. de jurejur. l. 44. ff. de min. l. 5. pr. C. de int. rest. Nam quid, quæso, leges intendunt per restitutionem? Res minorum ais salvas fore.

fore, salvis enim istis, non datur restitutio, adeo ut nec minima quidem læsio attendatur, ne commercio quodammodo iis interdicatur *l. 24. ff. de min.* Hinc argumentor, 1) *minorem non læsum non restitui, si vel maxime & dolus, & facilitas, & negligentia in uno negotio conjunctim concurrant.* Non enim habet, cur queratur. 2) *E contrario minorem restitui, quamvis neque dolus, neque facilitas, neque negligentia adsit v. §. 77. n. b.* 3) *Quoties leges restitutionem ob dolum vel &c. indulgent, toties intelligi læsionem ex dolo &c. profectam.* Habes hic demonstrationem §. 14. n. a.

§. XLI. Ad restitutionem itaque minoris impetrandam, necesse est, ut minor in negotio valido læsus sit §. 37. & §. 6. n. a. Hinc requiritur 1) minor ætas, 2) negotium validum, 3) læsio. Uno ex istis requisitis deficiente, non datur restitutio.

§. XLII. Restitutio definitur per repositionem in pristinum statum §. 37. CARPZ. *Dec. 222. n. 21. l. 24. §. 4. ff. de min.* E. in quam re mobili non pretiosa, & quæ servando servari non potest, minor antea dominium habuit; in illa, si adhuc exstat, recipit, & rem a quocunque (a) recuperat. Hinc restitutus, dominium crediti adhuc exstantis rursus obtinet. Domini res suas vindicant, & in concursu creditorum præ aliis recipiunt LYNCK. *Dec. 1107. E.* creditum minoris penes debitorem adhuc exstans, massæ bonorum non imputatur. Si autem creditum ad alios jam pervenerit, vel distractum sit; per restitutionem dominium recipere nequit. Regulariter enim restitutio non datur contra tertium possessorem, nisi minoris intersit, rem potius, quam pretium ut habeat. *l. 13. §. 1. ff. de min.* Id quod tamen de pecunia tanquam re fungibili dici nequit.

(a) Limita tamen per *l. 13. §. 1. & l. 14. ff. de min.* si tertius possessor in b. f. constitutus, & res ei jam tradita sit.

§. XLIII. Læsio computatur de momento alienationis & omissionis, §. 5. & 6. n. b. non vero de consequentia negotii (a). Non enim eventus damni restitutionem indulget *l. 11. §. 4. & §. ff. de min.* LYNCK. *Ref. 470.*

(a) Ob

non (a) Ob eandem quoque rationem, minor, iusta mercede domum aut agros locans §. 28. vel rem mobilem non pretiosam vendens, non restituitur, quamvis post initum contractum alius dupla maiorem offerat. Nec obstat l. 7. §. 8. ff. de minor. hanc enim legem de venditione publica, ubi sc. pro vili pretio res saepe venduntur, explicari debere, fas erit.

§. XLIV. Qui beneficiis ex speciali privilegio frui nititur, istud sibi competere, ostendat. Restitutio, de qua in hac differt. ago, est privilegium speciale, propter aetatem concessum. §. 38. E. qui restitui desiderat, probet minorem aetatem l. 9. C. de prob.

§. XLV. Quod porissimum fit, praesumitur. Minor nullo stipatus consilio i. e. Curatorem vel non habens, vel sine eo agens, aut omitteus, deliberatione gravi viro indigna sapissime utitur §. 2. E. non satis deliberasse praesumitur.

§. XLVI. Negligentia, facilitas, infrugalitas, sunt effectus deliberationis gravi viro indignae. E. qui non satis deliberasse praesumitur, praesumitur facilis, infrugalis, negligens. Et contra.

§. XLVII. Laesio est effectus facilitatis, infrugalitatis, negligentiae. E. qui facilis &c. praesumitur, praesumitur laesus. Et e contrario, qui laesus non praesumitur, non praesumitur quoque facilis &c.

§. XVIII. Ob nullam aliam causam minor praesumitur laesus, quam ob lubricum aetatis §. 2. 45. 46. 47. Ne minor ob lubricum aetatis laederetur, i. e. ad tollendam lubricitatem, Curatori administratio bonorum privative concessa est. §. 11. Atqui in Curatore (quippe qui semper debet esse major arg. pr. 7. de Curat.) lubricitas aetatis non praesumitur. E. nec in minore Curatoris sui consilio stipato. i. e. minor, Curatore suo consentiente, alienans vel omitteus, non praesumitur laesus, adeoque nec facilis, nec infrugalis, nec negligens §. 47.

§. XLIX. Quodvis assertum in iudicium deductum, a deducente probandum est, nisi contraria aliqua praesumptio ab onere probandi relevet. c. 10. X. de praesumpt. Atqui minor, Curator consenserit, non praesumitur laesus. E. laesionis probatio ei semper incumbet. Consentit COCCERJUS in differt. de probatione directa negativa.

C

§. L.

§. L. Alienationes & omissiones §. 5. & 6. n. b. non semper cum læsione conjunctæ sunt. Hinc minori, Curatore adhibito, alienanti & omitenti, alienationem & omissionem probasse, non sufficit; sed requiritur etiam læsionis ex alienatione (a) & omissione (b) provenientis demonstratio.

(a) Lætio alienationis venit vel titulo lucroso, vel oneroso.

I. Lucroso. Duæ potissimum hujus generis læsiones sese mihi offerunt 1) Lætio donationis. Hic minor cum Curatore donans quidem, donando se læsum i. e. patrimonium suum diminutum esse §. 10. non tamen, se sine causa donasse, probet.

2) Indebiti Solutio. Hic, cum simplex solutio non, bene autem indebiti solutio læsionem constituat; indebiti probatio ei injungatur.

Nec obstat, quod hæc probatio sit difficilis; non enim est impossibilis. Nam a) per juramentum ab altero, se non indebite accepisse, præstandum, veritas extorqueri potest; quod si acceptare recuset, probationem indirecte in se suscipit. b) Per testes & instrumenta fides judici fieri potest, solutionem esse factam sub hac vel illa conditione, aut ob hanc vel illam causam, quam tamen erroneam vel non adimpletam esse, probatio non ita difficilis postea est.

Nec officit l. 25. §. 1. ff. de prob. Personæ enim ibi nominatæ, ob præsumptam facilitatem, negligentiam, simplicitatem, desidiam, ab onere probandi liberantur; Quæ tamen prædicata ad minorem consentiente Curatore solventem minus apte applicari poterunt §. 48.

II. Titulo oneroso. Hic probasse sufficit: pretium justum minus (quod ex tempore contractus quoad læsionem æstimandum *ЛУНСК. Resol. 470*) pro re sua se accepisse.

Quoties autem 1) an justum, an justum minus sit, in judicio disceptatur, & res ita comparata est, ut judex ipse ratione officii optimam ejus cognitionem habere debeat, (e. gr. si minor, propter instans & verosimiliter inevitabile irruptionis hostilis periculum, res suas mobiles non-pretiosas, pretio, si periculum non adesset alias exiguo, majori cuidam vendit; hostes autem postea, quin irumpant, facto quo-

to quodam impediuntur.) toties neutri parti probatio iungenda est.

Quoties autem 2) an pretium in rem versum, an non versum sit, litigatur; distinguendum est: an solutio facta sit vel α) ipsi minori absque consensu Curatoris, vel β) ipsi minori consentiente Curatore, vel γ) Curatori, vel δ) alteri cuidem consensu & nomine minoris. Primum & quartum casum includam § Cum autem in secundo & tertio minor non præsumatur infrugalis, §. 48. ad non- versionem probandam obligatur. Ne tamen objicias, impossibile hanc esse probationem; attendas velim. Impossibile in secundo casu esse, ut sine facto aliquo pecuniam acceptam inutiliter quis dissipare queat. E. minor, pecuniam acceptam se dissipasse asserens, indicat factum proprium, propter quod eam perdidit. Atqui factum probari potest E. Q. E. Imum. In tertio casu minor probare potest, pecuniam Curatori solutam ab illo se recipere non posse. Quo probato, simul probavit, pecuniam Curatori datam in rem suam non esse versam v. §. 51. n. b. E. probare potest. Q. E. 2dum.

Contrariari quidem mihi videtur l. 32. §. 4. ff. de adm. Tut. ubi verbum *probetur* in voce passiva sumtum est. Sed notetur α) vocem passivam in legibus non semper requirere actum alterius, alias enim ei contradiceret l. 1. C. si adv. Credit. ibi doceri. Hinc legem cit. 32. per ellipsin ita explicari, fas erit: *ab ipso minore* probetur &c. β) Hanc legem, de minoribus Curatorem non habentibus, vel sine Curatore agentibus, explicari posse.

Nec quicquam contra me facit, quod creditor & debitor minoris curiosus esse debeat, quomodo vertatur. arg. l. 3. §. 9. ff. de in rem verso. Nec officit, quod in §. 14. n. a, ipse dixerim: adversarium minoris ad pretium in rem ejus vertendum obligari. Hoc enim quidem efficit, ut probata non- versione, creditor creditum amittat, & debitor debitum denuo solvere debeat; Interim tamen non semper sequitur: ad hoc vel illud præstandum obligatus es, ergo te præstitisse proba. Id quod & hic quam minime procedit.

dit. Debitor enim vel creditor non negligentes in tali præsertim casu præsumuntur, ex quo minori actio contra eos aliquando dari possit.

Hinc 1) non assentio ANT. FABRO *qu. 38. n. 35.* & 39. & PERETZ *ad l. 1. & 2. C. si adv. Cred.* qui creditori minoris sive Curatorem habentis, sive non habentis, probationem semper injungunt.

Hinc 2) displicet mihi LAUTERBACHII *in dissert. 103. C. 5. th. 4.* opinio, ibi. *Creditorum contra civitatem agentes intentionem suam fundant & in mutuo ab administratore Civitatis nomine contracto, & in versione in rem Civitatis.* Ex quo concludit: *Creditorum Civitatis versionem semper probare debere.* Id quod præjudicio, magnoque autoritatum cumulo confirmat. Ast nego, creditores intentionem suam in versione in rem Civitatis fundare. Argunt enim solummodo ex contractu, & non versio est fundamentum exceptionis Civitatis, quam, quia per administratores suos juratos contrahens, æque ac minor Curatore consentiente agens, (Civitates enim in materia restitutionis utuntur jure minorum. Taber. Dec. 85. num. 17.) non infragalis, sed frugalis potius præsumitur, probare tenetur.

Hinc 3) minus accuratas U. M. & BRUNNEM, ab iisque citatorum deprehendo limitationes, & distinctionem inter creditores fœneratitios, & non-fœneratitios. Versionis enim probatio non injungitur ob dolum, vel lucrum a creditore forsitan captandum, sed propter inconsultam facilitatem, & infrugalitatem minoris curatorem non habentis, vel sine Curatoris sui consensu creditum accipientis. Id quod uberius §. evincam.

(b) Sic probare debet, hereditatem, bonorum possessionem non solum repudiatas & renuntiatas, §. 5. n. a. b. §. 6. n. b. §. 14. n. c. sed & lucrosas fuisse. Cujus probatio cum sit difficilis, altera pars instrumenta, inventarium, vel juratam specificationem ad instantiam minoris edere tenetur. MEVIUS P. II. Dec. 203. n. 2. P. III. D. 328. An legatum fuerit lucrosum, ex conditionibus forsitan adjectis dijudicandum est.

§. LI. Læsione non- versionis a minore, si Curator, aut ipse minor Curatoris consensu solutionem accepit, probata, §. 50. n. a. 11. 2. creditor creditum amittit, & debitor debitum denuo solvere debet l. 27. §. 1 & 3. ff. de min. (a). Ita tamen, ut Curator prius excutatur, quam debitor conveniri possit (b). Si autem debitor præcedente sententia judiciali solverit, solutionem sequitur plenissima securitas; si vel maxime in rem non sit versa. §. 2. l. quib. alien. lic.

(a) Idem est, an minor & Curator pecuniam a debitore vel creditore acceptam decoxerint, an vero ære alieno cuidam obstricto crediderint. Ponamus casum. MEVIUS quod debet, solvit, consentiente Curatore, minori. Minor acceptum consilio Curatoris credit Titio, a quo postea suum recipere nequit. QU. an MEVIUS debitum de novo solvere debeat? Tota læsio hic æstimanda est ex quæstione: an Titius tempore crediti secunda adhuc fortuna usus sit, an non. Si prius; pecunia Titio credita bene impenfa, vel in rem versa esse dicitur. Nam quantum ad miseriam ex postfacto redactus est; casus fortuitus tamen ejus MEVIUS nocere nequit. Non enim eventus damni restitutionem indulget l. 11. §. 4. ff. de min. l. 3. ff. de in rem verso. Sufficit, quod consentiente Curatore, minor pecuniam Titio nondum obarato crediderit, adeoque ab initio bene impenderit. Sin postea; ad novam quidem solutionem MEVIUS adstringitur; minor autem cedat actionem l. 27. §. 1. ff. de min.

(b) In c. §. 2. 7. enim dicitur; debitorem, si auctoritate Tutoris vel consensu Curatoris solverit, liberari. Quod autem Curator de iis, ubi culpa ipsius minor læsus est, uti hoc in casu, respondere debeat, ostendi in §. 31. l. 32. in f. ff. de minor. Hinc minori non contra debitorem liberatum, sed contra Curatorem suam actio competit. Quidsi autem a Curatore suum consequi nequit; tum demum debitor tenetur. Id quod Imperator aperte declarat per vocem legis plenissima. Maxima igitur pro debitore (quæ & ad creditorem non inepte applicari posset) minoris cautela, ut non nisi præcedente sententia judiciali solvat.

§. LII. Minor læsus, contra quemcunque lædentem, non autem contra minorem, nisi damno ejus locupletiore factum, restituitur. l. 11. ff. de minor.

§. LIII. Minori non expectandus est lapsus 25. annorum minorennitatis, sed quovis tempore, simulac se læsum esse apprehendit, restitutionem impetrare potest l. 5. §. 1. C. de in int. rest.

§. LIV. Ad impetrandam restitutionem quadriennium post adeptam majorennitatem conceditur l. 7. pr. C. de temp. in int. rest. Impetrata ætatis venia, in illis negotiis, ubi Decreto Magistratus non opus est, ex minore extitisse fingitur major. E. Indulta venia, quadriennium restitutioni præfinitum, post illius intimationem illico currere incipit in rebus mobilibus non pretiosis, & quæ servando servari non possunt; §. 27. ita tamen, ut quamvis e. gr. 18vo ætatis anno indulta sit, ad 25um tamen annum completum, restitutionis beneficium non denegetur l. 5. pr. C. eod.

§. LV. Præscriptiones temporales non currunt minoribus. Melius etenim est, intacta eorum jura servari, quam post causam vulneratam remedium querere l. 5. C. in quib. caus. rest. E. minori contra præscriptionem temporalem restitutionem indulgeri, impossibile est. Ne tamen lites nimium protrahantur, atque ita immortales fere fiant, excipiuntur tempora Processus cursui præscripta (a). l. 13. C. de judic. e. gr. termini probatoriales, Citationis, proseguendæ appellationis &c. Quibus ne judicium sine effectu agar, atque ita ad majorennitatem usque minoris elusorium fiat, accensetur decendum, quo sententia in vim rei judicata abit.

(a) BOEHMER in dissert. de cursu præscriptionum contra minorem suspensio §. 24. omnes præscriptiones judiciales & Odus qu. 69. n. 10. eas, in quibus judiciorum reverentiæ & autoritatis potissimum ratio habetur, nimis generaliter excipiunt. Nulla autem legum assistentia sunt stipati, nec latio-rem a me data exceptionem ex lege cit. erui, possibile est. Interim ex minus accurata eorum thesi non potest non sequi: Decendum appellationi præfinitum, non esse suspensum, sed minori currere. At cum protractioni, durante Processus cursu, in l. c. tantummodo obveniatur; per appellationem autem lis minime protrahatur; (alias enim semper deneganda foret.) appellatio insuper non pertineat ad cursum Processus, sed

sed finito cursu isto, in secunda instantia agatur; Nullam hujus asserti video rationem. In aprico itaque est, decendum appellationis non ad exceptionem, sed ad regulam potius referendum esse, atque ita ad adeptam usque majorenitatem in salvo minori semper esse appellandi licentiam, ita ut major factus, a sententia non nulliter lata (a sententia enim nulliter lata appellationem intra 30. annos in mundo esse, testatur GAIL. Lib. I, obs. 127. n. 8. v. §. 21.) intra decendum adhuc appellare possit.

Ne tamen mihi obstet l. 7. §. II. ff. de minor. notes velim: verbum *subvenitur* ibi non denotare restitutionem in integrum. Id quod declaratur per verba subsequencia *finge, & desiderare*. Qui enim se restitui non expresse in judicio postulat, non restituitur. Alia itaque hujus legis explicatio invenienda est. Quam adfero duplicem 1) de provocatione ad testes: *Si minor non provocavit ad testes intra diem i, e. intra tempus probatoriale, subvenitur i. e. judex suggerat vel admoneat, ut ad testes provocet*. Vel quod idem est. *Si minor non provocavit ad testes intra diem tempus probatoriale, subvenitur ut provocet. i. e. non nocere ei debet, quod provocare neglexerit, sed neglecto termino probatoriali minori adhuc pateat ad testes provocandi licentia. Finge enim hoc i, e. hanc provocationem, vel hic neglectus provocationis ne sibi noceat, desiderare*. Quidsi autem 2) assumerem, hanc legem non de provocatione ad testes, sed de appellatione loqui, nihil tamen exinde contra me. Explicari enim ita debent verba: *subvenitur ut provocet*. non nocere minori debet, quod non appellaverit, sed appellandi facultas ei semper subvenit, *finge enim hoc* sibi ne noceat *desiderare*. Et tandem 3) si omnia me fallunt, attendas velim: hanc l. cit. 7. antiquiorem, & per l. supra cit. 5. C. in quib. caus. rest. plane abrogatam esse.

§. LVI. In præscriptione temporali agere valenti l. I. C. de ann. except. l. 1. ff. quando appelland. dies regulariter currit a tempore scientiæ. LEYSER spec. 60. Med. 5. Hanc si minor ita læsus est, ut etiam major eapropter restitui posset; tempus restitutioni præfinitum non currit minori major facto, læ-

cto, læsionem ignorant (a). Si autem læsio ita est comparata, ut minor, non vero major restitui possit; restitutionis petitio, si minor agere potuerit, adepta maiorenitate, præscribitur per quadriennium. Quamvis læsionem plane ignorarit (b) *arg. c. 1. & 2. de restit. in int. in Vito Clem. L. 1. de restit. in int.* Idem de minore veniam ætatis habente, servata tamen observatione §. 54. dicendum est.

(a) Justam enim ejusmodi ignorantiam adversus m. f. possessorem ad 30. adversus b. f. possessorem autem ad 10. inter præsentis, & 20. annos inter absentes, deduci posse; demonstrat *Aurb. C. mala fidei possessor v. U. M. §. 6. ad T. quibus ex caus. Maj.*

(b) Hocce enim quadriennium non ob aliam causam quam ob talem minoris læsionem conceditur, contra quam major in judicio agere nequit. Per quadriennii itaque lapsum omnia propter ætatem specialiter concessa evanescent i. e. finito hoc restitutionis quadriennio læsiones minorum reputantur, ac si non minoribus sed majoribus contigerint. Cum igitur majores propter ejusmodi læsiones, si ve eas contigisse sciverint, si ve ignorarint, restitui non possunt; apparet: post quadriennii lapsum nec minores majores factos, læsionem ignorantes, restitui posse, nisi læsio talis fuerit, propter quam etiam majores restitui solent.

§. LVII. Præscriptiones perpetuæ, quanquam non pupillis (a), bene tamen currunt minoribus *l. 3. in med. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Minor restituitur propter læsionem, quæ in minori ætate ex alienatione contigit §. 39. Atqui neglectus actionis competentis, & præscriptionum interruptionis, est species alienationis §. 3. E. adversus neglectum actionis 30. vel 40. annos durantis, & interruptionis præscriptionum perpetuarum contra majorem inchoatarum, contra heredem ejus minorem continuatarum, atque completarum, restitutionis beneficium competit (b).

(a) Ratio legis est, ne heredes minoris impuberes in præscriptione perpetua, deterioris quam in præscriptione temporali conditionis efficerentur.

(b) Non obstat quod *l. cit. in fin.* Imperator dicat: *post banc tem-*

temporis definitionem nulli movendi ulterius facultatem patere censemus. Nam procul dubio intelligit ibi facultatem, movendi per remedia ordinaria, non vero extraordinaria.

REMEDI. SUBSID. §. LVIII. Si minor neque per restitutionem, neque a Curatore, ejus herede, & fidejussore, suum consequi potest, tenetur istis excussis Magistratus tandem in subsidium l. 4. C. de conven. Mag.

§. LIX. Actio subsidiaria conceditur ratione dationis & administrationis tutorum, & Curatorum. §. 2. *F. de satisfd. Tut. & Cur. ibique* HOPP. Ratione hujus dationis & administrationis Curatorum, Magistratus officium est, ut Curatorem idoneum vel ipse constituat, vel eundem confirmet, cautionem exigat, rationes quotannis reddi curet *Ord. Pol. de 1548. & 1577. art. 32.* suspectum removeat. §. 1. *F. de susp. Tut. & Cur.* His neglectis, Magistratus non monitus (a), vel in dolo vel culpa deprehenditur.

(a) Quia Magistratus inter quotidianos strepitus judiciales maxime distrahitur, atque ita scientiam de minoribus exactam habere non potest; necesse est, ut moneatur l. 1. §. 6. *ff. de conven. Magistr.* Hinc non monitus, non tenetur.

§. LX. Magistratus praestat culpam levem. l. 4. *ff. de conveniend. Magistr.* E. quoties aut dolum aut culpam latam aut levem commisit, toties; si minor neque ab altero pacifcente, neque a Curatore, ejus herede, & fidejussore excussis §. 58. suum consequi nequit, hac actio competit.

§. LXI. Magistratus non praesumitur negligens. STRYK *dissert. de praesumpt. pro Magistratu c. 1. §. 11.* Hinc ab onere probandi merito excusandus est, & minori incumbit probatio, quod non attenta monitione §. 59. negligens fuerit.

(a) Exceptionem tamen in casu specialissimo v. in l. 1. §. 13. *ff. de Magistr. conven. & rationem ejus in l. 11. ff. de probat.*

LXII. Actio subsidiaria per nullam legem abrogata est, nec in desuetudinem abiit, restantibus inter plures alios LAUNSCHLIFFER *dissert. de act. Tut. subsid.* GEBAUER *dissert. de eod. argum.* HOPP. *ad F. §. 2. de satisfd. Tut. & Curat.*

rat. HUBERI & THOMASII opiniones v. HUB. pral. ad F. de satisf. Tut. n. 2.

§. LXIII. Non solum minor Curatorem habens, sed & minor Curatore destitutus alienare & omittere potest. Sic progredior ad *Sect. I. Cap. 2.*

SECTIO I.

CAP. II.

CURATORE NON DATO.

§. LXIV.

MINOR læsus & sine Curatore constitutus, neque remedio ordinario contra Curatorem, §. 29. quia illo destitutus est, neque subsidiario contra Magistratum (actio subsidiaria enim conceditur tantum ratione dationis & administrationis Curatorum §. LIX.) experiri potest. Restat igitur ei sola in integrum restitutio.

§. LXV. Lubricum iudicium in minoribus propter ætatem statuitur §. 8. Curatore dato lubricitas ætatis aufertur §. 48. E. quoties lubrico ætatis leges aliquid tribuunt, toties intelligunt minorem vel sine Curatore suo agentem, de quo supra *Cap. 1. membr. 1.* vel Curatore penitus destitutum.

§. LXVI. Minor non impeditus nec prohibitus valide alienare, simpliciter omittere & renuntiare §. 5. & 6. n. b. potest §. 6. Minor iudicio maturo præditus & Curatorem non habens, neque impeditus §. 6. neque prohibitus §. 7. est. E. Minor iudicio maturo pollens & Curatore destitutus, omnia ea, quæ alias consentiente Curatore alienari & omitti possunt, valide alienat (a), atque omittit. Consentit GERH. *NOODT de pact. & Transact. c. 20. HUB. ad ff. de min. §. 2.*

(a) Dissentit LAUTERBACH *disert. de Solutionibus th. 5. ibi.*

Nostri moribus, quibus minores etiam invito Curatores accipere tenentur, distinctio inter minores qui Curatores habent & non habent, non magnæ utilitatis esse videtur, ita ut hodie minores, licet Curatores non habeant, de bonis suis nihil alienare possint. Quem sequitur fideliter HOPP. ad F.

Verum

Verum tamen vero non sequitur: Minor invitus Curatorem accipere tenetur. E. minor sine Curatore constitutus non potest alienare ea, quae alias consentiente Curatore valide alienare possit. In adductis ab illo Imperii legibus Status quidem admonentur, ne minoribus Curatores constituere intermitant; de negotiis autem minorum Curatoribus destitutorum ne jota quidem reperitur.

§. LXVII. Lætio minoris existere potest, vel ex omissione & factio non satis deliberato, ubi minor potissimum ut omittens aut agens (a), vel ex factio, ubi altera pars ut potissimum agens (b), vel ubi minor & alter ambo ut æqualiter (c) agentes considerandi sunt.

(a) E. gr. si debitor minori ipsi solvit; lætio non statim adest. Sed tum demum: Si minor pecuniam acceptam inutiliter decoxit. Si itaque eam decoxit, lætionem hic præcipue non efficit factum alterius, sed factum potius minoris proprium.

(b) E. gr. Si debitor consensu & nomine minoris debitum alicui tertio maxime obærato solvit.

(c) E. gr. in contractibus bilateralibus.

§. LXVIII. Minor sine Curatore consideratus; §. 45. præsumitur quidem facilis, infrugalis, negligens, & læsus; §. 47. sed nondum evolutum est, in quonam casu talis præsumatur. Periculum faciam. Dispositio aliqua in minore quidem præsumitur, ut lædi facile possit; interim altera pars non præsumitur, quod illum revera læserit (a). E. 1) in illo casu ubi alter ut potissimum vel æqualiter agens considerandus est, §. 66. minor non præsumitur læsus, adeoque nec negligens, nec facilis, nec infrugalis (b); e contrario autem 2) quoties minor ut potissimum agens vel omittens considerari potest, toties præsumitur læsus, adeoque facilis, negligens, infrugalis.

(a) Hoc enim in factio, quod tamen non præsumitur, consistit; quin potius quilibet præsumitur bonus, donec contrarium probetur.

(b) Ad effectum scil. lætionem probandi.

§. LXIX. Qui præsumtionem juris profe adducere potest, liberatur a probatione c. 10. X. de præsumi. E. minori

sine Curatore considerato in casu §. 68. primo, non vero secundo (a) probatio incumbit.

(a) Hinc altera pars minorem Curatore destitutum non indebite solvisse, ostendat *l. 25. §. 1. ff. de probat.*

§. LXX. Creditores & debitores, vel in manus ipsius minoris absque Curatore considerati §. 45. vel consensu & nomine ejus (a) alteri cuidam solvunt (b). Priori casu, si minor pecuniam acceptam bene impendit, & posteriori casu, si per solutionem alteri factam, damnum minori non infligitur, in rem versa esse dicitur. E contrario autem, si priori casu, minor pecuniam inutiliter dissipavit, & posteriori casu, si creditores aut debitores alteri ita solverunt, ut damnum minor exinde (c) (casus tamen fortuitus excluditur (d)) sentiat; in rem versa esse nequit. *arg. l. 3. ff. de in rem verso.*

(a) Si enim debitor aut creditor debitum aut creditum sine consensu & nomine minoris solverunt; quod solverint, sequeliberaverint, dici nequit.

(b) Ceteros huc tamen non pertinentes casus enodatos putato in §. 50. a. 11. 2.

(c) E. gr. si debitor, minoris consensu atque nomine, alteri, qui tempore solutionis nondum obaratus vel prodigus, sed ex postfacto prodigus, vel fato quodam ad incitas redactus est, solvit.

(d) E. gr. si tempore solutionis jam maxime obarato solvit.

§. LXXI. Hinc minor sine Curatore consideratus, non-ventionem in rem allegans, eo ipso asserit, vel 1) pecuniam acceptam se inutiliter dissipasse, i. e. testatur de facto potissimum proprio. vel 2) debitorem aut creditorem, ejus nomine & consensu, alteri cum damno ipsius solvisse i. e. allegat factum potissimum alterius. Cum igitur in illis casibus, ubi ipse ut potissimum agens considerari debet, infrugalis & laesus, non vero in casu opposito talis praesumitur; §. 67. sequitur, quod in priori (a) non vero in posteriori casu a probatione non-ventionis merito excusetur (b) §. 69.

(a) Maximam in casu §. 51. n. a. prolato, cognoscis differentiam inter minorem, Curatore consentiente, & inter minorem

rem absque Curatore a debitore pecunias accipientem. Illi enim, non vero huic incumbit probatio. Hinc maximi momenti cautela pro eo, qui cum minore, Curatore deficiente rem habere debet, ut Curatorem ad actum illi constitui curet.

(b) His casibus satis, ut puto, separatis, assentire haud possum Coccejo in *dissert. de probatione directa negativa* hunc in modum ratiocinanti: Minorem, qui nullam aliam læsionem quam non-ventionem allegare potest, eam probare debere. Hoc enim casu ipsam non-ventionem efficere læsionem.

§. LXXI. Minor cum Curatore suo, & minor sine Curatore constitutus, mobilia quidem non pretiosa, & quæ fervari nequeunt, valide alienat; §. 27 & §. 66. Quid autem juris sit circa immobilia, & quæ illis hoc intuitu æquiparantur, docebit.

SECTIO II.

DE MINORIBUS CUM ET SINE DECRETO ALIENANTIBUS.

§. LXXIII.

Sine decreto mo- & immobilibus valide renunciari potest; §. 26. Restat igitur prohibitio minorum, ne immobilia & mobilia (a) non pretiosa, & quæ servando non servantur, neque obligando (b), l. 1. §. 3. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub Tut. neque donando (c), neque permutando, neque transigendo (d), neque in solutum dando, neque ullo alio modo sine decreto alienent. l. 15. §. 22. C. de adm. Tut. vel Curat. Exceptiones tamen aliquot speciales v. in Tit. C. quando Decreto opus non est & l. 3. ff. de rebus eorum qui sub Tut.

(a) Innumeras in omnibus juris commentariis & systematibus videbis quæstiones: quænam res mobiles, quænam pretiosæ dicantur. Omnes fere Auctores in quæstione præsertim: An molendina aquatica ad res mobiles vel immobiles pertineant

desudant. Hinc meum non est, ut toties tractata, repetita, & exscripta hic proferam.

(b) Hinc maxima pro eo, qui prædium minori vendit, cautela: ut dominium in re vendita sibi reseruet. Nam reservatio sub nexu pignoris non valet *l. 1. §. 4. ff. l. c.* adeo ut nec bona a fisco comparata tacite ei obligata sint *l. 2. C. in quib. caus. pign. tac.*

(c) Loquor de donatione remuneratoria vel propter nuptias. Nam simplex donatio nec interposito decreto valet. *l. f. C. de maj. factus alien. rat.*

(d) Quod tamen limitatur 1) per *l. 11. C. de transact.* in transactione fratrum de fideicommissio a patre dato. 2) Si ita transigatur, ut res penes minorem remaneat. BRUNNEM. *ad Cod.*

§. LXXIV. Ad immobilia referuntur jura, quæ immobilibus tanquam ob- & subjectis adhærent. LAUTERB. *Disfert. VII. n. 24.* Hinc absque Decreto prædiis minorum nec servitutes imponi, nec remitti, nec jus emphyteuticum distrahari, nec usus, nec habitatio, nec usufructus, nec annui reditus vel annonæ civiles &c. remitti possunt. *l. 3. ff. eod. Nov. 7. in præf. v. BRUNNEM. ad C. de præd. & aliis rebus GAIL. L. 2. obs. 10. n. 4.*

§. LXXV. Minor, quamvis veniam ætatis impetrarit, immobilia tamen sine Decreto obligare nequit. Ratione enim illorum (a) pro majori nondum habetur. *l. 2. §. 1. in f. C. de his qui ven. atat.*

(a) An autem etiam ratione juriæ, & mobilium pretiosorum pro minore adhuc habeatur, disquirendum esset; brevitati autem studens, repeto rationem §. 27. n. a. 3. prolatam, quæ, cum & ad jura & mobilia pretiosa maxime quadret; nullus dubito, quin pro affirmativa sit pronuntiandum.

§. LXXVI. Minor vel 1) cum, vel 2) sine Decreto alienat.

SECTIO

SECTIO II.

CAP. I.

DE MINORE INTERPOSITO DECRETO
ALIENANTE.

§. LXXVII.

Decretum solenniter (a) interponi debet, l. 5. ff. de reb. cor. qui sub tut. Hinc requiritur 1) causa justa & necessaria (b), 2) causæ cognitio (c), 3) consensus veri Curatoris (d), 4) Decretum iudicis competentis (e). SCHORFF. *Synops.* p. 424.

(a) Hinc non sufficit confirmatio judicialis, subhastatio autem non est necessaria. *POSTIUS de subhastat. Inspect. IV. n. 36. &c.*

(b) Maxime exorbitans videretur restitutio contra Decretum legitime interpositum, si tres istæ in §. 40. n. a. recensitæ causæ restitutionem tantum indulgerent. Ubi enim justa eaque necessaria causa subest, ibi neque inconsulta facilitas, neque negligentia minoris, neque dolus adversarii ejus, locum sibi vindicare potest.

(c) i. e. Prætor inquiret in bona minorum, convocet eorum necessarios, constituat ipsis Advocatum, edi curet rationes & Synopsin bonorum, & cognoscat, an alienatio, an oppignoratio vel obligatio minori magis expediat. l. 5. §. 9. 10. & 11. ff. de reb. cor. qui sub Tut. A mobilibus, illisque, quæ minus utilia sunt, in distractione incipiendum, & ultimo imprimis loco vendatur domus, in qua pater mortuus est, & minor crevit. *LAUTERB. Dissert. VII. §. 34. n. 3.*

(d) Legitimæ defensionis persona i. e. verus Curator adesse debet, l. fin. C. si propter publ. pensit. Minori autem Curatorem non habenti, iudex constituat. In causis enim judicialibus, sine defensore minor valide agere non potest, adeo, ut sententia contra indefensum lata, ipso jure nulla sit, l. 45. & 54. ff. de re judic.

(e) Hunc

(a) Hunc actum voluntariæ jurisdictionis non esse, sed a iudice competente exerceri debere, ex eo patet, quod causæ cognitionem requirat. Alia autem quæstio est, quis iudex competens sit? Distingue; Aut bona minoris sita sunt in unius Principis Territorio sub diversorum iudicum imperio, aut in diversis Territoriis. Priori casu applicari aliquo modo posset l. 5. §. 12. ff. de reb. eor. qui sub Tut. Posteriori autem casu, vix ac vix a me impetrare possum, ut pro iudice competente alium, quam eum, sub cuius jurisdictione res distrahenda sita est, agnoscam. Quidquid enim per plurimi dissentientes obmoveant, omnes tamen se fundant in l. cit. Ast cum Provinciæ Romanæ & Civitas Romæ, non diversorum Principum Territoria, diversosque Status, sed unam eandemque Rempubl. cuius caput Roma erat, constituerent; facile est intellectu, Prætores Romæ degentem quidem, de alienandis minorum prædiis in Provincia aliqua sitis, iudicium ferre potuisse; hanc autem potestatem modernis diversorum Principum iudiciis minus apte tribui posse. E. gr. si Titius minor in Ducatu Florentino & Megapolitano diversa prædia possideret, nonne absurdum esset? si iudex Florentinus cognitionem, an prædium Megapolitanum distrahi, an non distrahi debeat, sibi arrogare vellet.

§. LXXVIII. His requisitis omnibus observatis, alienatio efficitur valida. Contra alienationem validam minor, si læsus est, restituitur §. 41. E. contra alienationem rerum immobilium, mobilium pretiosarum, & quæ servando servari possunt, minori læso competit beneficium. Limita tamen, in venditione rerum propter debita fiscalia solemniter (a) adjudicatarum. Hic enim repetitionis facultas in omnem intercipitur ætatem, l. 5. C. de fide & jure hæst. fisco.

(a) Etiam hic requiritur legitimæ defensionis persona l. f. C. ff. propter pensit. publ. ibique GOTHOFR. in not.

§. LXXIX. Per restitutionem omnia in pristinum statum reducuntur. §. 42. Hinc minor restitutus, ab emto-re rem cum fructibus (a), l. 24. §. 4. ff. de min. CARPZ. Dec.

Dec. 195. n. 27. deductis tamen impensis (b), & emtor pretium cum usuris recipiat, l. 47. in fin. ff. eod. necesse est (c).

(a) Per restitutionem, res plane non abuisse, sed penes minorem mansisse, fingitur. §. 37. E. quoque fertilitas & sterilitas, imo omnia lucra & damna, quæ sine culpa emtoris acciderunt, non in emtoris sed minoris lucrum damnumque vergisse finguntur. Hinc apparet, quod emtor omnes fructus perceptos, imo & industriales BRUNNEM ad C. p. 652. reddere debeat; ad plures autem, quam quos bonus paterfam. alias acquisivisset, non teneatur. Cum tamen actus venditionis secundum legum præscripta celebratus, atque ita emtor in bona fide constitutus sit, adeoque rem emtam pro sua possidere inceperit; æquitati maxime repugnaret, si rationes nimis rigide excuterentur.

(b) Quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis; l. 36. §. fructus ff. de hered. petit. sequitur, quod in redditione fructuum impensæ deducendæ sint. Emtor, qui, solemnni decreto interposito, rem a minore sibi comparavit, in bona fide versatur, n. a. h. E. impensas necessarias & utiles, imo mercedem operarum suarum a fructibus retinere, voluptuarias autem, si absque rei detrimento fieri potest, tollere licet. Hinc quoque prono alveo fluit; non in quantum melioratum, sed quantum necessario & utiliter impensum, fructibus detrahi debere. ROSACORB *obs. pract. for. c. 77. n. 19.* Nec ullam video ODDI *qu. 47. n. 22.* & GALESI *ad Cap. I. T. 41. L. 1. X.* ita loquentium rationem: *si plus melioratum, quam expensum, refici debere prout expensum; si autem plus expensum, quam melioratum, refici debere prout melioratum. Iniquum enim esse, ut minor in damno remaneat.* Verum enim vero 1) regula n. a. h. proposita, quod sc. omne lucrum & damnum, absque emtoris culpa accidens, non in emtoris sed minoris lucrum damnumque cedat, istam sane evertit rationem. Tali enim modo impossibile est, ut minor in damno remanere possit. 2) Quia per restitutionem minor rem suam ita, ac si nunquam abuisset, recipit; res istæ autem sine impensis alias de-

E

terio-

teriorata essent; non potest non sequi: Restitutionem istum quoque effectum necessario sortiri debere, ut minor, sumtus necessarios ac utiles ipse fecisse, videatur. *v. l. 37. ff. de hered. petit.* 3) Valde injuriosus in emtorem esset, qui minori omne lucrum, emtori autem omne damnum imponere vellet. (c) Quomodo in casu inverso dispositum sit *v. l. 27. §. 1. ff. de minor.*

§. LXXX. Qui rem immobilem, vel immobilibus æquiparatam, pro vero pretio a minore, cujus tamen rem ipsam retinuisse interest, sibi comparat, eum lædit. §. 14. n. a. Minor Curatore adhibito agens, si læsionem probavit §. 50. restituitur §. 37. E. minor, rem suam immobilem, vel immobili æquiparatam, cum Decreto pro vero pretio vendens, restituitur, si interesse suum, rem ipsam retinuisse, docet.

SECTIO II.

CAP. II.

DE MINORIBUS, DECRETO NON INTERPOSITO, ALIENANTIBUS.

§. LXXXI.

UNo ex requisitis §. 77. non observato, Decretum, atque ita alienatio ipso jure nulla est. *l. 2. C. de prad.* PERETZ *ad C. p. 433. n. 11.* GAIL *l. 2. obs. 72. n. 5.* adeo ut restitutione non opus sit, nec regulariter §. 20. n. a. derur, CARPZ *Dec. 195. n. 20.* nec minori nulliter alienanti exceptio præstiti juramenti noceat §. 14. n. e. (frustra dissentiente HEINECC. *ad ff. de rebus eor. qui sibi tut. §. 397.*) nec absolute opus sit COLLEG. ARGENT. *p. 316. n. 7.*

§. LXXXII. Nullitas est vel sanabilis, vel insanabilis Nullitas alienationis sine Decreto, sanatur per rescriptum Principis, *l. 2. C. quando Decr. opus non est,* & Decretum solen-

solenne (a) ex postfacto superveniens (b). His autem non accedentibus, insanabilis est.

(a) Ne tamen ita simplex confirmatio existat, quam nihil operari dixi, §. 77. n. 2. necessario hic observantur omnes Decreto præscriptæ solennitates.

(b) Nullitate sanata, actus invalidus retro convalescit. E. restitutionem hic indulgeri, in aprico est. §. 19.

§. LXXXIII. Nullitas insanabilis, quæ ad majores non pertinet, sed in minorum favorem privative introducta est, non præscribitur, sed perfecta demum ætate, rati habetur. §. 22. CARFZ. P. II. Const. II. Def. 30. n. 7. & L. II. Resp. 76. n. 21.

§. LXXXIV. Minor, qui veniam ætatis impetravit, ratione immobilium pro majorenni nondum habetur §. 75. E. nec rati habere potest.

§. LXXXV. Rati habitio (a) fit vel expresse, vel præsumitur aut ex facto, aut ex silentio.

(a) Rati habitio est voluntatis in causam actam declaratio §. 4. n. a. Voluntatis declaratio præsupponit sufficientem actus notitiam. E. nemo alienationem rati habere, neque rati habuisse præsumi potest, nisi alienationem factam esse, conperitus sit.

§. LXXXVI. A negotio semel expresse & ex facto præsumtive rati habitio, major recedere non potest, sed simul ac rati habitio, eo ipso renuntiavit omni actioni alias competenti. Atqui minor major factus, non amplius minor, sed major effectus est. E. per rati habitationem expressam & ex facto præsumtam minor major factus, omnibus actionibus sive ex læsione, sive ex nullitate provenientibus, illico (a) privatur.

(a) Nullius itaque momenti deprehendo observationem GALESI in tr. de in int. restit. c. 6. n. 46. quippe qui, minores paucis diebus post majorennitatem rati habentes, restitutionis adhuc beneficio gaudere, perhibet.

§. LXXXVII. Alienatio fit vel titulo oneroso, vel lucroso.

E 2

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. Omnia, quæ legitime interposito Decreto, alias valide alienantur; sine Decreto legitimo ratihabentur per silentium quinquennale. *l. 3. C. si major fact. alien. rat.* Atqui per Decretum alienationes ex titulo oneroso provenientes solummodo permixtæ sunt. *l. c. E. & eadem tantum quinquennio ratihaberi possunt (a).*

(a) 1) Hinc nimis generaliter loquitur CARPZ. *P. II. Const. II. Def. 30. n. 7.* ibi: *quinquennium istud sanat omne nullitatis vitium ex quocunque capite proveniens.* Nam dantur quoque alienationes, quæ nec interveniente Decreto validæ sunt; utpote quæ titulo lucroso veniunt v. §. 73. n. c.

2) Ratihabitio est prædicatum minori plane inconveniens; Nam majores tantum ratihabere dicuntur §. 84. Hinc minor neque ratihabere, neque non-ratihabere potest. Quidsi igitur minor dixerit, alienationem titulo oneroso factam, se nunquam ratihabiturum; per quinquennium autem post adeptam majorenitatem tacuerit; nihil ei proderit protestatio ista in minori ætate facta.

3) MÆVIUS *P. VIII. Dec. 273. n. ult.* quidem putat, quinquennii lapsum non nocere; si justa & necessaria alienandi causa defuerit. Sed & Justa causa est requisitum legitimi Decreti §. 77. Cum igitur per quinquennii silentium omnes decreti defectus sanantur *l. cit.*; apparet, quod & defectum justæ causæ allegans, post quinquennium non amplius audiendus sit.

4) Alienationem nemo ratihabere præsumitur, nisi, qui eam factam esse, compertus est. §. 86. n. a. E. quinquennium ratihabitioi isti præfinitum, prius currere nequit, quam a tempore cognitæ alienationis.

5) Minor qui veniam ætatis impetravit, ratihabere nondum potest §. 84. E. tempora ratihabitioi præscripta, ante perfectam ætatem ei non currunt.

§. LXXXIX. Pro decreto est præsumtio solennitatis (a). E. decretum non legitime interpositum esse, contendens, prober contrarium.

(a) Con-

(a) Contrariam quidem præsumtionem ex temporis brevitate quaerit STRYK in *dissert. de præsumptione pro Magistratu* cap. 2. §. 23. Ast festinatio nimia est circumstantia, quæ in iudice tanquam gravi viro non præsumitur, sed ab allegante probanda est. Obmovet quidem STRYK *l. c. facta non præsumi* sed non adesse hic quaestionem de veritate facti, vel an Decretum *revera*, sed an *legitime* interpositum sit.

§. XC. Elapso quinquennio ira tenet contractus, ac si ab initio, legitime interposito Decreto, res alienata fuisset. *l. cit.* Alienationes ex titulo lucroso provenientes, nec interposito Decreto validæ sunt. *l. cit.* E. hujusmodi alienationes quinquennio non ratihabentur, sed requiritur decennium inter præsentem, & 20. anni inter absentes (a). *l. c.*

(a) Donatio, & gratuita debiti, vel juris immobilibus æquiparati remissio, sunt species alienationis sub titulo lucroso. E. non quinque, sed pro re nata 10. vel 20. annis ratihabentur.

§. XCI. Ut tandem aliquando negligentia minorum terminetur, & rerum dominia certa fiant, elapsis post majoritatem pro re nata §. 10. 20. annis, §. 88. §. 90. minores majores facti, in alienationem perfecta nondum ætate factam, ratihabuisse præsumuntur §. 85. Cum itaque ratihabitio expressa & præsumta non in facto alterius doloso, sed in expressa & præsumta ratihabentis voluntate fundamentum suum quaerit; §. 22. n. a. Sequitur, quod h. & m. alterius contrahentis fides ratihabitio nem neque expressam neque præsumtam alterare possit, adeoque hic plane non attendatur. CARPZ. *P. II. Const. II. Def. 30. n. 9.*

§. XCII. Contractu propter nullitatem insanabilem, quamvis nulla læsio adsit §. 24. rescisso, altera pars rem, altera, pretium recipit (a). §. 16.

(a) 1) PERETZ *ad C. p. 433. n. 11. & 12.* propter *l. 7. in fine C. de agric. const.* differentiam quidem in b. & m. fidei possessorem statuit, & illum non vero hunc pretium recipere, contendit.

Alit. a) *l. cit. 7.* tam late se non effundit. Sicuti etiam

BRUNNEM. ad C. eam quidem ita explicat; ut mala fidei possessor vel contra prohibitionem mercans, nulla se tueri præscriptione possit; exinde autem non sequitur, quod, qui contra prohibitionem mercatus est, pretium amittere debeat. *β*) Illa PERETZII opinio repugnat naturæ nullitatis. Negotium enim in unius partis favorem a iudice pro nullo declaratum, ex altera quoque parte nullum esse debet, *γ*) Nec minor cum damno alterius locupletandus est.

2) Quid autem juris sit circa in rem versionem, v. §. 15. n. a. 2. §. 50. n. a. II. 2. §. 71.

§. XCIII. Noluntatem suam declarans, ratihabere non censetur. Noluntas non solum in iudicio, vel alteri parti, sed cuiuscunque etiam extra iudicium declarari potest. E. qui coram amico, vicino, vel alio quisquis sit, noluntatem suam declarat, non ratihabet, sed interrumpit silentium, & impedit ejus effectum. LAUTERB. *Dissert. VIII. n. 25. & ibi citati*. Hinc elapsis terminis ratihabitioni præscriptis, actiones contra nullitatem istam insanabilem competentes, noluntatem declaranti adhuc sunt in salvo (*a*). Hinc quoque nulla opus est denuntiatione (*b*).

(*a*) Sed quæritur: intra quodnam tempus hoc casu ratihabeatur. *β*. Noluntatem declarans, vel agit in iudicio, vel non. Si agit; negotium rescinditur §. 92. Si non agit: terminus ratihabitionis currere non continuat, sed a momento declarationis noluntatis de novo currere incipit. Atque hoc modo terminum ratihabitionis ad 30. usque annos semper interrumpi posse, autumo. Per 30. enim annorum lapsum omnes nullitates evanescere, aperti juris est.

(*b*) Maximam & hic deprehendo differentiam inter præscriptionis & ratihabitionis naturam. In illa enim attenditur b. & m. præscribentis fides, in hac autem respicitur tantum ad voluntatem minoris major facti §. 91. In illa requiritur saltem denuntiatio, quæ autem hic non necessaria est. Rationem quære §. 22. n. a.

§. XCIV.

§. XCIV. Lege sapius cit. non distinguente, nec meum est distinguere. Dicta itaque hæcenus de ratihabitione, non solum procedunt in obligatione & alienatione minoris consentiente Curatore, sed & sine Curatore suo, & sine Curatore constituti, bona sua immobilia, immobilibusque æquiparata §. 74. obligantis & alienantis. MEVIUS

P. VIII. Dec. 372. n. 1. BERG, Oecon, p. 199.

SCHULTES qu. 15. § 16.


TANTUM.

A Cerrimo quondam Philosophorum certamini: *an detur vacuum*, me immiscere quidem non audeo. Ne tamen & quæ superest pagina relinquatur vacua; objectioni cuidam, quæ contra *Sas* dissertationis, ubi de probatione versionis in rem egi, formari posset, obviam ire decrevi. Objici nimirum posset, contra naturam versionis me disseruisse. Versionis enim exceptionem non esse exceptionem Domini vel patrisfam. sed potius solventis, adeoque probationem non-versionis Domino non, bene autem probationem versionis solventi incumbere.

Concedo totum argumentum, & eodem quoque jure minores frui indicavi §. 21. At judicando ne te seducas, adverte: maxmam idearum circa solutiones majori & solutiones minori faciendas, adesse diversitatem, quæ non, nisi omnia possibilia solutionum genera oculis tuis exponam, resolvi potest. Periculum faciam. Debitor vel solvit 1) **IPSI DOMINO AUT PATRIFAM.** vel 2) **ALTERI EORUM JUSSU.** Ambebus his solutionum generibus debitor liberatur, nec quomodo dominus aut paterfam. pecunias solutas impenderint, curat. Nulla igitur hic quæstio, an in rem eorum veræ an non veræ sint, superesse potest, vel 3) **ALTERI**

TERI ABSQUE JUSSU DOMINI AUT PATRISFAM.
 Hic debitor non liberatur. Nam non solviffe dicitur, nisi
 aut ipsis aut eorum jussu solverit *l. 3. ff. de in rem verso*. Si igitur
 dominus aut paterfam. a debitore suum postulant; debitor
solvi excipere nequit. Quænam igitur exceptio isti super-
 est? Nulla sane alia, quam: *in rem tuam; quod solvi, versum*
est. Quam exceptionem debitor ut verificet, nullibi negavi.

Longe altam autem versionis in rem minoris faciem
 esse, deprehende. Hic enim ex specialissima favorabilissi-
 maque legum dispositione, non attenta distinctione an mino-
 ri, an curatori, an alteri minoris vel Curatoris jussu, an si-
 ne eorum jussu solutum sit; debitor minoris nunquam libe-
 ratur, nisi in rem ejus revera versum sit. Hinc ex illis, quæ
 de versione in rem domini vel patrisfam. in legibus exstant,
 non nisi in tertio solutionis genere argumenta ad minores
 desumi licet. Cum autem in dissertatione mea de primo &
 secundo solutionis genere, quippe quod ad majores plane
 applicari non potest, agam; non aliud quam quod propo-
 sui, statuendum est. Sic quoque quæ de natura versionis
 in rem domini vel patrisfam. adduci possent, mihi
 plane non contrariari deprehendes.



Marburg, Diss., 1741-43

ULB Halle

3


005 034 809



TA → OL

1+ 8 Skill verknüpf





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

13

P. S. 29.
Pri. 26. num. 18.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE

ALIENATIONE

ET

OMISSIONE
MINORUM VALIDA

ATQUE INVALIDA,

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO,

HASSIÆ LANDGRAVIO, RELIQ.
INDULTU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
JURIDICÆ,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA OBTINENDI,

MAGNIFICI ET EXCELLENTISSIMI
SENATUS ACADEMICI
EXAMINI PUBLICO,

AD DIEM XXIV. FEBR. MDCCXLI.
SUBMITTIT

CAROLUS SIBETH,

GUSTROV. MECKLENBURGICUS.



MARBURGI CATTORUM,

TYPI S PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, Acad. Typ.